



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

D. Dionysii Carthusiani, luculenta iuxta ac compendiaria in Acta apostolorum exegesis siue commentaria

Dionysius <Cartusianus>

Coloniæ, 1532

VD16 D 1926

Dionysij protestatio quo motiuo sua conscripserit in vttunq[ue]
testamentum commentaria

urn:nbn:de:hbz:466:1-38702

EPITO. PARS SECVN.

ab antiquæ legis interiori cultu & eo perfectior, statuique felicitatis futuræ propinquior, ideo ceremoni-
 alia nouæ legis distingui oportet a ceremonialibus ve-
 teris legis, eisque expressiora & puriora consistere. Por-
 ro lex noua lex gratiæ appellatur, sicut ad Romanos
 ait Apostolus: Lex spiritus vitæ in Christo Iesu libera-
 uit me a lege peccati & mortis, Gratia autem est quali-
 tas decor atque perfectio animæ, ideo lex noua non pro-
 prie dicitur lex scripta sed indita, quasi principaliter
 in gratia Christi consistens. Lex ergo noua veterem im-
 plet, quia quod ei defuit addit, videlicet perfectionis
 consilia, gratiã quoque præbens ex merito passionis Chri-
 sti qua homo potens efficitur ea implere quæ præcipi-
 untur, vmbra etiam prophetiæ atque figuræ veteris le-
 gis, in Christo ad effectum & veritatem pductæ sunt.
 Ipse enim ait: Vn^o apex non præteribit de lege donec
 omnia fiant. Cælum enim & terra transibunt, sed ver-
 bum domini stabit in æternũ. Non enim est deus vt ho-
 mo vt mutetur, & triumphator in Israel non parcat
 nec penitidine flectetur. Fidelis enim dominus in om-
 nibus uerbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis,
 qui est super omnia de^o sublimis & benedictus, Amen.

Roma. 8.

Psal. 144.

AUTHORIS PROTESTA-

tio ad superiorem suum, quo motiuo sua
 in virtutibus testamentum conscrip-
 serit commentaria opaque reliqua.



Go frater Dionysius toto corde profite-
 or, quod sacram scripturam exponere,
 paruitatem meam omnino transcendit,
 tam quantum ad scientiam & rationem
 professionis (quia monachus sum, cuius
 est lugere & illuminari, potius quam do-
 cere vel illuminare) quam ratione vitæ meæ, in tantum imperfe-
 ctæ et miseræ, sed in bonitate et gratia spiritus sancti
 (abiecta & contemp-

D. DIONYSI A RICK CAR.

Ita & ea quæ non sunt, infirma quoque & stultâ mundi eligere consuevit) confidens, hucusque exercitium istud continuauit, & quantum in me est, paratus sum psequi, dummodo sapientiæ vestræ iudicio placitum fuerit. Deprecor autem bonitatem spiritus sancti, vt in id quod est magis ad gloriam suam, & meum vel aliorum protectum, mentem vestram inclinare dignetur. Præterea fateor quod quantum meipsum pro viribus examinando deprehendere queo, non sum mihi conscius, quod ex aliqua vanitate, vel propter finem vilissimum scilicet propter famam vel aliquid tale priuatum, temporaleue commodum, exercitium istud assumpserim, vel prosequi optem, imo potius, vt occupando me quæ die in scripturis, secundum eas viuere valeam, veniendo ad veram humilitatem, mansuetudinem, patientiâ quibus summe indigeo. Et si aliter est, vel alio fine hec ago, tunc sum bene & nimis inferrimus, vtputa documentis sacræ scripturæ tam inaniter, & insipienter abutens. Totis tamen præcordiis deo gratias ago, quod tam iuuenis religionem ingressus sum, vt pote viginti vnius anni existens. In qua nunc per gratiam dei, quadraginta sex annis permâsi, in quibus assidue, deo laus extitit studiosus, & multos legi auctores, scilicet super Sententias, Thomæ, Alberti, Alexandri de Halis, Bonauenturæ, Petri de Tharento, Egidij, Richardi de media villa, Durandi ac aliorum. Libros etiam sanctorum Hieronymi super omnes prophetas, & alia multa volumina eius, Augustini, Ambrosij, Gregorij, Dionysij Ariopagite doctoris mei electissimi, Origenis, Gregorij Nazanzeni, Cirilli, Basilij, Chrysostomi, Damasceni, Boethij, Anselmi, Bernardi, Bedæ, Hugonis, Gersonis, Guilhelmi Parisiensis. Præterea Summas omnes vulgares & Chronicas, totum ius Canonicum & Civile quæ tum mihi conueniebat, multos commentatores vtriusque Testamenti, & quicquid naturalium Philosophorum habere potui, Platonis, Procli, Aristotelis, Aucennæ, Algazelis, Anaxagoræ, Auerrois, Alexandri, Aphorabij, Abubatheris, Euclypote, Theophrasti, Temistij, ac alio

PROTESTATIO.

rum. Verum quo exercitium istud magis est spirituale laboriosum studio & negotio plenum, eo videtur mihi salubrius siue accommodatius ad mortificationem sensualitatis, & carnalium desideriorum, Fecit etiam me libentius manere in solitudine. Quamuis insuper scriptura sit multum euidenter & copiose exposita a magnis doctoribus, sanctisque patribus, tamen vt Gerson scribit, sicut exterius gustus secundum personas & tempora diuersificatur, & nunc isto nunc illo cibo delectatur, vicissim quoque vilioribus edulis amplius exilitatur & confouetur, ita & de interioris gustus palato ceteretur. Vnde in fine. 2. Machabeorum inducitur quod alternis vt delectabile est, & nunc aqua nunc vinum delectat. Postremo Gerson docet quod in mensa sapientiae noua semper fercula semper proponi debent. Absit tamen a me, abiectio atque vilissimo, vt arbitrer me in mensa sapientiae recentia fercula posse ponere. Sed vt sanctus Hieronymus ait: In domo dei vnusquisque offert quod potest, nec aliorum opes, aliorum inopia queunt ferdari, imo magis ornantur: quia opposita iuxta se posita magis illucescunt. Item secundum Augustinum in libro de trinitate: Expediit de eadem materia plures fieri libros, quia non omnium scripta ad omnes deueniunt. Et secundum eundem: Noua aliquibus amplius placent & conferunt. Sunt autem & aliae causae me mouentes, quas propter breuitatem omitto: & ne me ad obtinendam licentiam videar nimis armare. Nec istas tetigit intentione armandi me, &c. sed vt iuxta vestrae paternitatis commissionem, scribere atque ostenderem vobis, quid cordis in isto exercitio geram. Itaque sub P. V. correctione scripta sunt haec: quia & haec scribere mihi commisit.

GALANVS DE RVPE SACRAE THE
ologiae doctor deuotissimus, ordinis .S. Dominici
in fine sui operis. De vtilitate Psalterij vir-
ginis Mariae sic scribit.